



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Feriâ secundâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

judicio, quod Angeli in Nativitate Christi cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ad gloriam Dei, & bonum vestrum simul isthæc omnia eveniunt. Narrant, equitem audita suavissima voce in aviis silvarum, eam secutum, venisse ad moribundum non hominem, sed spirans cadaver: erat enim leprosus, cui partes corporis semiputres undique habant. Mirante equite cantum in eo statu: at tu, inquit leprosus, mirarisne captivum gaudere & cantare, cum carcer ejus dirumpitur, & in proximo est jucundissima numquamque desitura libertas? Ex Salmerone id habeo, ipse ex aliis. Si parabolam esse existimatis: efficere tamen poteritis, ut verissima sit rei factæ ac faciendæ narratio. Modus alius non est, quàm Voluntatis humanæ cum divina conjunctio in omnibus eventis. Eam qui habet, seu sanus sit, seu leprosus; sive integer sit honor, seu per partes abeat; seu vita constet, seu mors imminet, semper respiciet & levabit caput suum, canetque tranquillè cum Angelis, *Gloria in excelsis &c.*

FERIA SECUNDA.

TH E M A. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Explicandus primùm ad literam hic cantus Angelicus: & præsertim insistendum parti secundæ, è qua aliqui tertiam faciunt: homines bonæ voluntatis sumi dupliciter, indico pag. 4.

sect. 1. num. 1. In secundo sensu, sive de bona voluntate activa, intelligemus ferè toto hoc Adventu. Invocemus Spiritum Sanctum & Virginem salutemus. AVE.

Ingressus sit ex Procemii num 1. & 2. ubi dicitur generatim de Bona Voluntate, cujus bonitas existit ex applicatione cum divina. Tum subdatur de Tractatûs illius Suavitate & Utilitate: qua de re aliquid habes in præfatione ad lectorem. Et certè ipsa multitudo Tractatorum & Scriptorum ea de re ostendit satis ejus utilitatem. Scripsère Chrysostomus, Salvianus, Prosper libros de Providentia. Jam recentiores quàm multi? Quid de veteribus, Seneca, Epicteto &c. Merces bonas esse argumento est emptorum multitudo, si sunt intelligentes. Ita Sermonem de Providentia, de Conformitate, de Resignatione, de Bona Voluntate, quæ variis nominibus eadem sunt, esse publicè privatimque utillimum, vel inde patet quod tam multi tractaverunt.

Eum igitur & nos ut Deus dederit, deducemus. Subde quæ in procemio habentur à num. 6. usque ad finem. Prætereundi enim 3. 4. 5. qui aliis diebus erunt usui.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Gloria in excelsis Deo.* Luc. 2.

Ponendum primum fundamentum: esse Providentiam: prout habes part. 1. sect. 1. ad

NUMER.